UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina Evangelica De Meditatione mortis

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sententia I. Osee xiij. De manu moretis liberabo eos &c. lxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46214

Visual Library

quæ non videntur. Quæ enim videntur, tēporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.

Ac profectò non ſolùm omnibus hominibus, verùm etiam animantibus omnibus quæ aërem inſpirant, miſeriores eſſemus, ſi nihil præter hanc vitam miſeriis plenam nobis eſſet expectādum. Atqui Reſurrectionis ſpes, ut S. Iob ait exēplar patientiæ, repoſita eſt in ſinu noſtro. 1.Cor.15. Iob 19.

SENTENTIÆ DE RESVRRECTIONE D. N. IESV CHRISTI TRIVMphatoris, ex S. Scriptura collectæ.

SENTENTIA I. Oſee 13.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors: morſus tuus ero inferne.

PARACLESIS.

HÆc Prophetia in Christi Reſurrectione completa eſt. Nam ſecundum carnem in humilitate mortuus, diuina ſua potentia cum ſumma ex mortuis reſurgens gloria, conſecutus eſt magnificam & glorioſam victoriam, contra peccatum quod deleuit: contra diabolum, cuius caput contriuit: contra mortem, quam abſorpſit in victoria: & infernum, quem deſtruxit: ut genus humanum ab his hoſtibus liberatum, ſeruiat Deo in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo: & reſuſcitatum ex morte per Christum mortis victorem, perpetua lætitia & vita æterna cum Deo fruatur. Eius namque victoria, noſtra eſt: unde & nos in Reſurrectione dicemus, Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. CAPVT LXIX. Geneſ. 3. Luc. 1. 1.Cor.1. 1. Cor. 15.